

per illud reddantur inexcusabiles, *Rom. I, 19, 20.* Conf. SLEVOG-
 TII *Dispp. Acad. Part. I. Disp. XIIIX. §. 2. sqv.* Nec obstat naturali
 Creationis mundi notitiæ locus *Ebr. XI, 3.* Præterquam enim,
 quod multa de DEO naturaliter cognoscibilia sunt, quæ tamen
 etiam ex revelatione supernaturali præterea creduntur, ut omnes
 articuli fidei mixti; non est sermo heic de creatione mundi in
 generali, sed speciali & quoad circumstantias consideratâ. Hoc
 enim arguit verbum *καταρτίσειν*, quippe quod non nudè aliquid
 producere, sed simul componere, apte disponere, debitè per-
 ficere, significat, quemadmodum artifices operis alicujus par-
 tes ordinatè disponunt, connectunt, ut aptè cohæreant, sicque
 totum perficiatur. Ita WITTICHIUS *Investig. Ep. ad Ebr. h. l.*
Significat etiam, inquit, hæc vox, concinnare, vel concinne aptare, per-
fectum facere ab ἀρτίος perfectus: sumitur etiam pro componere ex mul-
tis unum. Denotatur enim apta concinnatio & compositio, atque ex-
ornatio inter se invicem omnium eorum, quæ creata. Quod factum
est sex diebus creationis, quos DEUS adhibuit cælo & terra ordinandis
& perficiendis. Exemplis ex historiâ creationis ipsum illustrat
 COCCEJUS *Explic. Ep. ad Hebr. h. l.* postquam scripserat: *In eo est*
καταρτίσμος, quod nihil est, quod non aliud sit ordinatum, & in eo ipso
exoritur, quod ad hoc ordinatum est, ut in eo, quæ ad aliquid sunt,
existere possint. Hæc talia solius naturalis luminis ductu investi-
gare nos non posse, fassî sumus, id quod verò non tollit gene-
ralem producti à DEO mundi notitiam.

§. V.

Utut verò sit, inter Christianos id minimùm certum habe-
 tur, mundum à non esse ad esse mutatum fuisse, ideoque coe-
 pisse ac initium sui habere, *Gen. I, 1.* Nec id illi ipsi negabunt,
 qui aliàs pro possibilitate creationis mundi ab æterno defen-
 dendâ disputare solent. Nam & hac de re in utramque partem
 inter Theologos pariter atque Philosophos & olim disputatum
 fuisse, & hodiernum disputari, deprehendimus. Scholastico-
 rum quippe non pauci, potuisse mundum ab æterno creari &
 creaturas æternas existere, propugnant, quanquam in eo non
 consen-